

DE  
CVRA PARENTVM BONAE LIBERORVM  
EDVCATIONI IMPENDENDA

PAVCIS DISSERIT ET SIMVL  
VIRO SVMME REVERENDO AMPLISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO

IOANNI MARTINO  
ALBERTI

CELSISSIMI COMITIS AC DOMINI HENRICI PRIMI  
IUNIORIS LINEAE RVTHENI A CONCIONIBVS AVLICIS  
CONFESSIONIBVS ET COETVS QVI SCHLEIZAE  
CHRISTO COLLIGITVR SVPREMO ANTISTITE  
AC SCHOLAE PATRIAE NOSTRAE  
EPHORO PRIMARIO

PATRONO SVO OPTVMO

FILII NATV MAXIMI  
CHRISTIANI FRIDERICI ALBERTI  
PRAECLARAE SPEI IUVENIS

SPECIMEN  
FELICIVM IN LITTERARVM STVDIIS PROGRESSVVM  
D. VL IDVVM AVGVSTI MDCC XXXVIII  
EDITVM

EX ANIMI SENTENTIA GRATVLATVR  
M. HENRICVS ADAMVS MEISNERVS  
SCHLEIZENSIS

LITTERIS IOANNIS CHRISTOPHORI WEICHBERGERI

47.

a. LXXXVI. 22.

b  
SS  
diss. A  
22



\* \* \*

Vm multa sapienter gentes antiquae tradi-  
derunt; tum nihil, ni fallor, praeclarius,  
quam quod egregia prorsus de liberis  
educandis praecepta et consignare et ad  
posterios peruenire voluerint. Haec  
certe a vero veritatis lumine aliena,  
prudens tamen, antiquitas cur rem  
hanc diuinissimam summo commendauerit opere, caussis post  
reliquis duabus praecipue ducta creditur. Vidit enim primo,  
quantum in recta liberorum educatione sit momenti; et quo  
modo non familiarum modo, sed totius etiam rei publicae salus  
huic vtilissimae rei debeatur. Amorem deinde, quem vocant,  
naturalem, seu tenerrimum illum, quo liberos parentes am-  
plectuntur ac fouent, adfectum veriore, feliciorum et hone-  
stiorum fieri deprehenderunt, si firmissimis bonae educationis  
fundamentis niteretur. *Parentes enim, ARISTOTELE \* teste,*  
*filios vt se ipsos amant, qui enim ex ipsis oriuntur, sunt quasi*  
*alteri ipsi, dum separati sunt; eiusmodi parentum erga liberos*  
*amori antiquos illos mirum in modum consulere voluisse, quis*  
*ex scriptis eorum hac dere conceptis non colligit? Adserit id,*  
*PLATONIS \*\* auctoritate, SOCRATIS dictum: Nihil est, de*  
*quo pater bonus sit magis sollicitus, nisi vt filius fiat optimus.*  
ARI-

---

\* De moribus Libr. VIII Cap. XIII. p. m. 138. edit. Guilielmi Laemarii ab an-  
no MDLXXXVII. Γονεῖς τέκνα φιλοῦσιν ὡς ἑαυτοὺς τὰ γὰρ ἐξ αὐ-  
τῶν, ὁἷον ἕτερον αὐτοὶ τῷ κενωρίῳ.

\*\* In Theage, dialogo, qui inscribitur: ΘΕΑΓΗΣΗ ΠΕΡΙ ΣΟΦΙΑΣ. Verba,  
quae induxi, sunt: ἔ γὰρ οἶδα, ὑπὲρ ὅτι ἂν τις νῦν ἔχων μάλλον  
σπυδαῖοι, ἢ ὑπὲρ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅπως ὡς βέλτιστος ἔσαι. Haec certe  
vernacula nostra sic optime expressit clariss. apud Hamburgenses Rector IO.  
SAMVEL MULLER in den sechs auserlesenen Gesprächen Platons p. m.  
441. „Denn ich sehe nicht, was sich ein vernünftiger Vater mehr müsse angelegen  
lassen, als das sein Sohn ein rechtschaffener Mann werde.“



ARISTOTELEM \* cum eo consentientem omnino habemus: Non parum refert, ait hic, sic ne, an sic statim ab adulescentia consuescat aliquis, sed quam plurimum, imo totum in eo penitus consistit. Quibus addere non dubito sapientissimum illum Atheniensem legum auctorem, \*\* quem sic locutum accipimus: Cum primis vero omnem curam impendimus, ut ciues et mente boni et corpore efficiantur validi. Tales enim ipsi sibi prodesse in pace possunt, una rempublicam administrantes, neque non in bello ciuitatis libertatem atque salutem seruare ac propugnare. Primum itaque illorum educationem matribus atque nutricibus et paedagogis formandam permittimus, ut disciplinis liberalibus eisdem imbuant atque educent. Et reliqua. Ita rem esse, ut dixi, nemini dubium fore, confido, praeter eum, qui nec euoluit fatis, nec considerauit veras, quas sapiens illa antiquitas praecipit de formandis bonis hominum moribus, doctrinas. Tantum vero abest, ut in hanc ignorantiae suspensionem incurrat ingenuus humanitatis cultor, ut rem potius ipsam, sole meridiano clariorem, omnium facillime agnoscat. Summa hinc perfusi voluptate excurramus, quaeso, in amoenissima quaedam antiquiorum musea, et quibus verbis hanc rem, utilitate sua comprobata, proposuerint, scriptores adaeamus ipsi.

PLV

- 
- \* De moribus Lib. II cap. I. p. m. 22. Οὐ μικρὸν διαφέρει, τὸ ἕτως ἢ ἕτως εὐθύς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν.
- \*\* Solonem puto, quem IVS TVM vocauit Iuuenalis X, 174. apud Lucianum dialogo de gymnasiis: Graece est titulus huius dialogi: ANAXARΣΙΣ Η ΠΕΡΙ ΓΥΜΝΑΣΙΩΝ. Vbi edition. Haganoae quae prodiit an. 1735 xxxv. ὑπὸ Πέτρῳ Βερβακχίῳ Tom. II. p. m. 402. fs. verba leguntur: Μάλιστα δὲ καὶ διάπαντος τῆτο προνοῶμεν, ὅπως οἱ πολῖται ἀγαθοὶ μὲν τὰς ψυχὰς, ἰχυροὶ δὲ τὰ σώματα γίγνοιτο. Τὸς γὰρ τοιούτους σφίσι τε αὐτοῖς καλῶς χερίσθαι ἐν εἰρήνῃ συμπολιτευομένους, καὶ ἐκ πολέμου σώσειν τὴν πόλιν, καὶ ἐλευθέραν, καὶ εὐδαίμονα διαφυλάξεν. Τὴν μὲν δὴ πρῶτην ἀνατροφὴν αὐτῶν μητέρασι, καὶ τίτθαις καὶ παιδαγωγοῖς ἐπιτρέπομεν ὑπὸ παιδείας ἐλευθερίαις ἄγειν τε, καὶ τρέφειν αὐτῶν. κ. τ. λ.

*PLVTARCHVM* facile, nisi caeteri iique copiosiores adessent, principem dixerim, vt multis quidem egregius ipfius *de puerorum educatione* libellus persuadet: hic certe a primo, quod aiunt, flamine felicissimum ad finem deduxit orationis filum. Nisi verborum copia me deterreret: de *THEBANO* illo *CEBETE* multum, si vellem, possem differere; quid enim aliud facit in eximio suo scripto, quo imaginem quandam huius vitae depinxit, quam vt viam bonae vitae etiam adolescentulo praemuniat? Vnum adhuc euidentissimum rei nostrae exemplum adiecisse nos ne poeniteat: quod est eximius ille *XENOPHONTIS* libellus, *Cyropaedia* inscriptus. Hanc perlegens scripturam nunquam desino mirari scriptoris suauitatem, et ingenuam me inde habere delectationem, fateor. Scio equidem, doctos \* inter se disceptasse, vtrum re vera Cyrus sic egerit, an normam potius boni principis, a prima inde pueritia formandi, praecipere voluerit auctor. Nobis sufficiat dixisse, Cyrum ibi depingi optimae indolis puerum, nil nisi gaudium parentibus et auo, Astyagi, quid? quod maximum regno commodum sine dubio adlaturum, haec si omnia, quae prodidit Xenophon, gnauiter perfecit. Et quis recte inde colligi vetat: Vnumquemque, vestigia boni pueri prementem, pariter atque ille suis, mille bona esse paraturum, et suis et aliis omnem excitaturum laetitiam? E Graecia si in Latium traicere licet, *QUINCTILIANVM* praestantissimum reliquis suae aetatis ciuibus palmam quasi praeripuisse et principatum hac in re facile obtinuisse, cui est ignotum? Is quidem, vt in prooemio \*\* fatetur ingenue, ab infantia incipit oratoris studia formare et iuuenibus erudiendis prodesse: qui egregius liber eo vberiores nobis adferet fructus, quo maiori studio doctissima humanita-

tis

---

\* conf. cel. Gottlieb Stollens *Anleitung zur Historie der Gelahrtheit* 2ter Theil. Cap. 5. von der Politick s. 15. p. m. 700. Eiusd. neue Zusätze und Verbesserungen ad s. cit. p. m. 77.

\*\* De Institutione oratoria libr. XII.

ris cuiusdam doctoris manus \* publice nuper eiusdem nobis fecit copiam. Sed quid diu gentium dictis immoror? Doctrinae huius praeceptores suauissimos nostra quoque exhibent saecula. An *LOCKIUM*, \*\* Anglum, eruditae patriae delicias, sine capto oblectamento seponimus vnquam e manibus? An non inclutum, cum viueret, apud Parisienses doctorem, *ROLLINUM*, \*\*\* maxima iucunditate intuemur? Optimos, si verbis non parcerem; caelestis doctrinae doctores et sectatores facile adiicerem. Qui omnes nos eo ducunt, certeque conuincunt, nunquam parentes sibi, et suo inde erga liberos satis facere officio, si rem hanc grauitate et vtilitate maxime commendandam negligent. A primo quoque aetatis tempore bonum fiat initium necesse est, vt annis deinde adultioribus feliciores expectemus progressus; animo enim liberorum pariter atque corpori bonam prodesse educationem, quis non videt? Cur vero ad comprobandum orationis meae argumentum adlexerit antea, quid? quod ad se quasi rapuerit me antiquitas illa sapientior, prope modum ipse ignoro; interim tamen, gentes illas laude censeris dignissimas, quae egregie admodum sic praeceperunt, optime scio.

Sed *TVA*, *VIR SVMME REVERENDE*, *CVI* has paginas sacras esse volo, pace mihi liceat, instituti mei rationem iam reddere. Ad superiora, quae feliciter *TIBI* effluxerunt, respiciamus tempora, quibus secundi in lyceo Schleizensium Praeceptoris prouinciam *TIBI* prouidissima *DEI* cura mandauerat. Tum enim ex sapientiorum gentium scriptis id, quod laudauit, non tantum percepisti *IPSE*, ac publi scholasticae publice docendo multum inde attulisti emolumentum; sed et manibus terendo eosdem, quos iuuentuti tunc explicuisti, auctores, hanc venustatis antiquorum sine dubio collegisti

\* Quid in hac editione sit praestitum, eximio laudis encomio tollunt *Leipziger neue Zeitungen von gelehrten Sachen* auf das Jahr 1738. No. LVII. p. m. 509.

\*\* Locke de l'education des enfans.

\*\*\* In Herrn M. Job. Joachim Schwabens Übersetzung der Anweisung des Herrn Carl Rollins, wie man die freien Künste lehren und lernen soll, 2ter Theil p. W. 189. vierter Abschnitt von Erziehung u. a. m.

legisti voluptatem. Deinde vero, cum verbum DEI in coetu christiano apud nos explanare TVVM esset officium, ex ipsis diuinis oraculis, et purissimis adeo veritatis caelestis fontibus, multo meliores, quid? quod omnium optimas de educandis liberis doctrinas petendas esse, euidenter cognouisti. Quid enim, ductu eiusdem verbi diuini, TIBI in re TVA domestica maiori fuit curae, quam vt dicti illius vim exemplo TVO egregie exprimeres \* *Enutrite liberos vestros in disciplina et admonitione DOMINI?* Post ea quoque cum ad summos Antistitis sacrorum honores TE admoueret infinita DEI sapientia, nihil magis habuisti in votis, inque rem vllam haud adeo elaborauisti: quam vt verbis PAVLLI omni ex parte faceres satis. Quamuis de spe TVOS bene educandi deturbare TE videretur sex liberorum mors nimis matura: attamen, quod ad eos, adhuc in viuis qui sunt, adtinet TVAE stirpis liberos, vnice curae TIBI cordique fuit, vt ad probum vitae genus hos instrueres; nec sumtibus vnquam, nec operae pepercisti, quibus illorum educationi esse posses emolumento. Muneris TVI grauissimos ob labores, cum aliis in domo TVA TVOS bene educandi curam communem esse cupis, quibus filiorum vitam, mores et doctrinam formandi demandas prouinciam; illi prae reliquis, quem maximum natu iam habes, filio, a teneris vsque annis, praeceptores acciendos curauisti, quorum duo CHRISTI coetui nostra in vicinia nunc praesunt. Et singulari certe, qui NVMINIS fauor est, accidit fato, vt ego post illos, quod nunquam putaueram ante, qualiacunque mea TIBI hac in re praestem officia. Is quidem haud ero, qui, diuino adiutus auxilio si quid sit adhuc praestitum, mihi tribuam, quod solius DEI est muneris. Interim tamen, PATRONE OPTVME, permittas, quaeso, vt gaudia mea ob felices, quos DEVS in studiis CHRISTIANI FRIDERICI TVI suppeditat, progressus, his paginis sincere declarem. Legi et perlego adhuc cum iucundissimo hoc iuvene et CEBETIS, et XENOPHONTIS, supra laudatos libros, idque ratione, qua fieri potest, vtilissima. Tantum etiam abest, VIR SVMME REVERENDE, vt gentium, quas antea produxi testes, scripta legisse TE poeniteat, vt amoenissimos potius graecae et latinae antiquitatis in agros otiosi saepius recurramus; hinc illud nobile dictum, quod inculcauit PLVTARCHVS, \*\* parui ducendum nunquam putauisti;

*promtam*

\* Ephes. VI, 4.

\*\* DE PVERORVM INSTITVTIONE cap. VIII. de sermone liberorum informando

*promptius orationem differendique alacritatem nec improbas prorsus, nec censes in rebus indignis esse eam exercendam, sed usurpari debere instar medicamenti.* Quo idoneo ad bonam filiorum educationem consilio usus operam huc usque dedi, ut chriis, quas vocant, oratoriis, subinde dicendis vires ingenii exerceret gnauus pariter ac probus hic noster. Iam vero, TVA quidem venia, orationem habendi, in quorundam doctissimorum confessu, illi obtuli munus. Materiam ipse elegit, cui *HEINECCIANAE* philosophiae ductu, et *FREYHERI* oratoriis haud parum imbutus principiis, par esse omnino videtur. Dicet autem latine de mirabili hominum de DEO ex operibus naturae cognitione. Faxit DEVS, ut huic orationi sollemnis dies TIBI, VIR SVMME REVERENDE, DOMVI TVAE et reliquis, qui nos audiunt, mihi denique ipsi, gaudio sit ac voluptati. Patrem TE facilem et liberalem maxime veneretur, oportet, filius, cuius educationis curam maxime suscepisti, et adhuc eximio ei emolumento esse summis viribus contendis. E tam innumera beneficiorum multitudine, hoc quoque praecipuum gratissimo is agnoscit animo; spem etiam, quam nobis fecit huc usque, volente DEO, ex animi nostri sententia, pie admodum explebit. DEVM ego submissa veneror mente, quod suauem hanc TE, PATRONE CARISSIME, TVOS que laetitia efferendi nactus sim occasionem: ad hanc summam salutis nostrae rupem confugio supplex, ut largiter concedat, quibus, mea protennitate, VOBIS posthac etiam fidelissime officia queam praestare; in DIVINISSIMI NOMINIS honorem, in patriae etiam commoda, aliorumque ad utilitatem beneuole dirigat litterarum haec studia illud, quod omnia moderatur, NVMEN sapientissimum. Erit, erit profecto, si DEVS vitam viresque concesserit, posthac etiam ut vberiores, PATRONE OPTVME, gaudii huius saepe colligas fructus, quos perpetuos nunquam non esse, vnice habeo in votis.

Iam in eo sum, ut pace TVA, VIR SVMME REVERENDE, paucis adloquar iuuenem, ex qua egregia laetitiae spes elucet: erit ipsi, quod spero, haec verborum vis inuitatus et incitamentum, quibus ad littera-

---

formando p. m. 68. fs. Το δὲ δὴ παντάπασιν ἀποδοκιμάζειν τῶν λόγων τὴν ἐτοιμότητα, ἢ πάλιν αὐτὰυτὴν ἔκ ἐπ' ἀξίοις ἀσκεῖν, ἔφαινον ἀν' ἐγώ γε. Ἀλλ' ὡς ἐν φαρμάκῳ μίγμα ποιητέον ἐστὶ.

litterarum studia summā alacritate pertraſtanda excitetur. Tuum est itaque, *FRIDERICE* politissime, Tuum est, inquam, gaudium *PATRIS* de *TE* conceptum augere, et *MATRI DVLCISSIMAE*, infirmae saepius, vires subinde novas, easque validiores diligentia et studio Tuo indefesso addere. Alacriter proinde et citato pede ad Tuas rite traſtandas litteras nunquam non properes, et grauiore, Tibi in posterum familiariores reddendas disciplinas animo adgrediaris, quo decet ac par est, minime fracto; fortiter potius, si quas subesse putas, molestias superes, et hilari adeo atque serena fronte, Tua quae sunt, agas strenue. Sic enim fiet, vt diuina adiutus ope et plurima commoda, et gaudia Patriae, Parentibus aliisque adferas, et iis, qui te docuerunt, praeceptoribus ornamento sis quam certissimo. Quae omnia vt nostris respondeant votis, *DEO* nos totos summa animi submissione commendo.

*TIBI* vero, *VIR SVMME REVERENDE*, *TVO* que fauorē denuo me traditum volo, cupio, efflagito. Vale, et cum *TUIS* res *TVAS* felicissime age.



*Coll. dir. A. 76, mid. 22.*